Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2303

Quelle:
Copyright:

Contra Simoniam, ſed manus coaeva ſuperſcripſit: *Quod ſequitur, non eſt determinatum.* Intentum tamen videtur, antequam Patres penitus cum *Eugenio* committerentur; dicitur enim inter alia: *Ideo propenſius eadem ſancta Synodus ipſum ſummum pontificem ammonet* &c. Sunt Articuli XII. bonae frugi; verum in *Actis* Concilii non reperi. 3) Contra Clericorum Concubinatum. Iterum ſuperſcriptum: *Hoc quod ſequitur de concubinatu non eſt ſic decretum, ſed in fine inuenietur verum decretum.* Reapſe *fol.* 68. p. 2. 4) De Annatis cum reliquis ejusd. *Seſſionis* XXI. 1435. 5) Interjiciuntur duae Deciſiones *Caſpari de Mayſelſtein* Legum D. et *Henrici de Haſſia* Theologi circa Contractum quendam locationis interrogante M. *Petro de Pulka.* 6) *Reformacio in Concilio baſilien. pro ſuppoſitis ejusdem.* Ut in *Actis* edit. *Labb. Venet.* T. XVII. *col.* 582. 7) *Inſtructiones circa exequendas indulgentias in facto grecorum;* ſeu potius totum negotium corrogationis pecuniae pro ſolvendis *graecorum* ad Concilium unionis cauſſa invitatorum viaticis, quo fine patres contribuentibus noxarum veniam offerunt. Imprimis igitur de Executoribus per Provincias deligendis, de eorum modo agendi, de Promotore generali, quibus ſubſcriptum: *Lecta ſunt preſencia capitula in nacione germanica die ſabbati viceſima prima aprilis Anno &c. 36to.* Dein Formula conceſſionis ipſarum Indulgentiarum pro Provincia *Salczeburgenſi* unacum Formula abſolutionis, mox ipſa *Bulla Indulgentiarum* prout extat in *Actis* T. *ſupracit. col.* 340. demum Bulla gemina *Leonhardi* Ep. *Paſſav.* data *Viennae* menſe *Martio Anno &c. Triceſimo ſeptimo,* quibus Executorum earum in ſua Dioeceſi conſtituit et commendat M. *Johannem Himel* Theol. Prof.

III. *fol.* 49. *Carta de nouo concluſa in certis punctis tertie viſitacionis circa ſanctam Dorotheam proxime fact.* Viſitarunt hanc Canoniam ab *Leonhardo* Ep. *Paſſav.* conſtituti *Georius prepoſitus Monaſterij newnburgen.* ejusd. Ord. S. Aug. et *M. Petrus de Pirchenwart* Theol. Prof. et plebanus in *Dreskirichen,* ut teſtantur *Wienne viceſima ſecunda die Menſ. Junij Anno domini M°. CCCC°. XXXV°.* Inter alia adprobant *eciam balneorum vſum nudum ſemel in menſe cum diſciplina et cuſtodito pudore;* item volunt, ut Praepoſitus *ad conſilium quatuor ſeniorum diſtincte reſpiciat habitaciones,* quas hactenus fundator occupauit, adaptandas deinceps *pro libraria, aut hoſpitibus honeſtis colligendis.* Fundatorem intelligo *Albertum Plank* Inſtitutorem primum, tum Cancellarium *Alberti* II. Imp. et curionem *Garſienſem.*

IV. *fol.* 51. Formulae ſupplices ad Pontificem pro facultate eligendi Confeſſarium, qui abſolvere poſſit etiam in Caſibus reſervatis, Cenſuris &c. una cum Formulis ipſius Abſolutionis. Petitores ſunt Theologi *Vienn. M. Nicolaus de Dünkelſpühl,* et *M. Nar-*